



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

XXVI. Vt episcopi & sacerdotes fide obeant officia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

## XXII.

Hortamur insuper, vt Christianus quisque ita quidem discat, sinceram vt saltem probe calleat fidem, atque orationem dominicam, & apostolorum symbolum perdiscat. Horum etenim altero Christiana fide tincti diuinum implorant numen, altero puram honestamque de numine Dei profitentur opinionem. Ipse Christus orationem dominicam protulit primus, eamque discipulos edocuit. Diuina autem precatio illa ex septem conflatur petitionibus: quas qui non simulate, sed ex animo fatus fuerit, cum Deo ipso de iis omnibus, quæ sunt ad vitam vel præsentem vel consequentem necessaria, colloquitur. Verum enimvero qua tandem poterit ratione quisquam ex animo Deum precari immortalem, nisi quidem illi sincere ac candide fidem habuerit. Et quidem qui hæc condiscere noluerit, nec vllam morte deletus cum Christianis capiet tranquillæ quietis partem, nec viuus & superstes ad eucharistiam admitetur, nec ipso denique viri Christiani nomine dignus putabitur. Imo nec ei liceto officia & partes ad sacrum fontem vel coram episcopo pro alio suscipere, ni hæc prius perdiscat, & pulcre calleat.

Regii manus-  
scripti  
capitulum  
idem.

## XXIII.

Hortamur etiam, vt exitialia crimina, sceleraque atrocitas atque immania, singuli semper studiose declinent: & si quid forte impulsu diaboli delinquitur, id omne documento sacerdotis refarcitor.

Regii manus-  
scripti  
capitulum  
idem.

## XXIV.

Admonemus porro, turpe vt stuprum, illicitam Venerem, atque fœderis coniugalis violationem omne tempus ætatis deuitent singuli.

Regii manus-  
scripti  
capitulum  
idem.

## XXV.

Porro autem docemus, vt in omnium semper animis Dei timor penitus infideat, dies noctesque supplicia pro maleficiis metuant, diem iudicii timeant, tetros inferorum cruciatus horreant, extremum denique vitæ diem instare quotidie atque imminere arbitrentur.

Regii manus-  
scripti  
capitulum  
idem.

## XXVI.

Sunto sane episcopi Dei præcones ac diuini iuris interpretes. Eorum est rerum diuinarum commoda prædicare palam, seque aliis exempla viuendi ad imitandum expo-

Regii manus-  
scripti  
capitulum  
idem.



nere, aures vero animumque ad ea attendant qui velint. Malus siquidem est custos qui creditum sibi gregem voce saltem, si ultra non detur, aduersus eum qui spoliaturus venit non defenderit. Vnus autem omnium nocentissimus est diabolus, qui operose hoc vnum molitur semper vt mortalium animis struat calamitatem. Quapropter pastores vigilare, excubare, & proclamare oportebit, vt quæ populo ab his infensis aduersariis impendent mala, eis prauifa atque præcauta sint omnia. Pastores vocamus episcopos & sacerdotes, quorum partes sunt eruditione atque doctrina gregem Domini speculari ac defendere, ne eum aliquando lupus furore & scelere inflammatus mordicus laceret atque dilaniet. Verumtamen si quis tum denique fuerit, cuius aures diuinis præceptis ac monitis non pauerint, eius rei rationem causamque Deo reddat atque exponat necessum est. Collaudetur nomen Domini in perpetuum; ei laus, gloria, & honos, in omnes sæculorum ætates. Amen.

---

TABVLA LEGVM ECCLESIASTICARVM.

- |  |  |
|--|--|
| I. De iustitia efferenda.  | XII. De ordinato capitis reo.                            |
| II. De misericordia exhibenda in iudicio.  | XIII. De reo confessarium petente.                       |
| III. De Christiano non vendendo extra regnum.  | XIV. De die dominica & festis obseruandis.               |
| IV. De sagis sortilegis, &c. eiiciendis.   | XV. De ieiunium violante.                                |
| V. De gentilium superstitionibus abolendis.  | XVI. Vt quadragesima & festa non temerentur.             |
| VI. De homicidis peierantibus & mæchantibus.   | XVII. De ecclesia debita vi detinente.                   |
| VII. Quod peccatum turpius sit in diebus & locis sacris; & maiores magis sunt plectendi. | XVIII. De sacrum ordinem violante.                       |
| VIII. De ministrum altaris occidente.  | XIX. De adulterio.                                       |
| IX. Vt rex sit ordinatis & alienigenis patronus.   | XX. De incestuosis.                                      |
| X. De ministro altaris homicida, &c.   | XXI. De viduam violante.                                 |
| XI. De ordinatum vinciente aut verberante.   | XXII. De uxoris adultera pena graui.                     |
|  | XXIII. De vxorato fornicante, aut concubinam habente.    |
|  | XXIV. Vt alienigena libidinosi eiiciantur.               |
|  | XXV. Vt homicida in purgatione cadens episcopo tradatur. |